

An habeant archivium scripturarum?
An sint aggregatæ archiconfraternitatibus
urbis, vel habeant alia indulta, et privi-
legia?

An confratres debitorum societatis, bona,
et introitus ejusdem administrent?

An bona stabilia societatis locentur abs-
que prævio edicto, et ultra triennium?

An intersint processionibus publicis?

Seminarium.

An adsint deotati electi ad formam con-
cilio?

An adsint magistri, et quot, et rector?

An alumni sint omnes civitatis, vel diœ-
cesis, et omnes sint clerici, et pauperes?

An omnes alumni habeant requisita con-
cilio?

An admissi præstiterint fidejussionem in
actis curiæ, impensas victus reddituri qua-
tenus ad statum laicalem redierint?

An reditus fideliter administrentur?

An adsint regulæ ab alumniis servandæ?

An alumni interveniant ecclesiæ cathedra-
li diebus festis ad formam concilii?

An incedant per urbem soli sine veste?

Ecclesia.

An ædificentur ecclesiæ, capellæ, oratoria
publica absque licentia episcopi, et dotæ, et
quæ jam ædificatæ fuere, sint collapsæ, et
indigeant reparatione? *Can. Nemo Ecclesiam,*
can. Nullus presbyter, dist. 1, De conse-
crat.

An altaria habeant in medio saltem lapi-
dem sacrum debitæ latitudinis coopertum
tela cerata, gradum ligneam, vel lapideum
cum duobus candelabris, et cruce cum ima-
gine Crucifixi? *Can. Si motum, dist. 1, De*
consecrat.

An dicta altaria habeant icones integras
decenter depictas cum imaginibus sacris ab
episcopo benedictis?

An sint mensæ eorumdem altarium te-
ctæ cum tribus mappis albis, et mundis,
quarum superior ab utroque latere usque
ad suppedaneum descendat?

An habeant suppedanea lignea cum repa-
gulo, pulvinaribus, vel legili, et tabellas
sacri convivii, lavabo, et *In principio.*

An altaria sint proportionatæ altitudinis,
latitudinis, et longitudinis, muro undique
pleno, et incrustato, ac signo crucis in fa-
cie munita cum pallio?

An muri, lectum, pavimentum, valvæ,
campanæ, et campanile indigeant repara-
tione?

An in sacratio adsint suppellectilia om-
nium colorum integra, et munda; an arma-
ria, in quibus custodiantur; an calices, et
patenæ deauratæ, an corporalia, pallæ, pu-
rificationaria, manutergia, bursæ, bireta, vela,
missalia, omniaque decentia, et expolita?
Can. In sancta, et can. Vestimenta, De con-
secrat., dist. 1.

An adsint sedilia, vel scamna, quæ sacer-
dotes celebrantes, aut functiones ecclesia-
sticas perturbent, et impediunt?

An aqua lustralis sit in vase expolito, et
renovetur singulo octavo die?

An adsit inventarium bonorum, et sacra-
rum suppellectilium?

An pro sacrificio Missæ pelliculæ munda,
ampullæ, campanulæ, manutergia, hostiæ
albæ, et instrumenta pro illis, necnon par-
ticulis retundendis?

An sit libera, vel patronata?

An habeat portam habentem aditum im-
mediatum in domum laicorum, quæ debet
claudi, si inveniatur habere?

An campana, seu campanæ sint ab epi-
scopo benedictæ?

Funus.

An in funeribus adsint abusus, puta quod
cadavera associantur sine cruce, sine lu-
mine, et sine parcho, vel cum ululatu
consanguineorum. Mulieres evellant sibi
crines, aut aliquid agant gentilium more?

An cadavera defunctorum processionaliter
ad ecclesiam ferantur ante ortum, vel
post occasum solis absque licentia?

An tradantur sepulturæ ante lapsum tem-
poris viginti ad minus horarum, postquam
quem animam a corpore exhalasse pro certo
habeatur; eos vero, qui repentina morte,
ante lapsum 24 horarum?

An parochus aliæ sepulturam denegent,
aut differant prætextu non solutæ eleemo-
synæ, et an pauperes gratis sepeliantur?
Eccli., vii c. 7, Ritual. Rom. De exseq.

An in ecclesia parochiali adsit sepulcrum
separatum pro parvulis decedentibus cum
baptismo ante septennium, prout constitui
debet?

An in ecclesia cathedrali adsit sepulcrum
separatum pro canonicis, et aliud pro cle-
ricis?

An cadavera infantium decedentium sine
baptismo sepeliantur prope ecclesiam in
loco non sacro ad id constituto?

An cœmeteria, quæ religiosa loca sunt,
undique muro sint circumdata, et in medio
signum crucis elevetur?

An sepulturæ constructæ et effossæ repe-
riantur subter altaria, vel prope, et illarum
ora suppedanea pertingant: hæ etenim ob-
struendæ omnino sunt, alias altaria inter-
dicantur?

An in ecclesiis monialium sine licentia
sacræ congregationis tumulantur cadavera
laicorum, sive marium, sive mulierum? Si
hoc enim fieret, interdicatur, dummodo non
sint patroni ecclesiæ, qui in fundatione hoc
jus sibi, et hæredibus reservassent, vel cum
licentia sacræ congregationis, et monialium
sepulcrum ab antiquo tempore haberent
constructum?

An parochus præter quartam pro cadave-
ribus extra parochiam tumulandis aliquid
aliud exigat ab hæredibus defuncti? Id enim
velitum est, non obstante contraria consue-
tutine? *Sac. congreg. Episc., in Civitatis*
Vetula 2 Junii 1690, et sac. cong. Conc., in
Mantuana Januarii, et 3 Aprilis 1694.

Hortentur sacerdotes, ut sibi ipsis dece-
dentibus suffragiorum vicem retribuunt.

Reliquiæ.

An decenter custodiantur in thecis saltem

ex ligno deaurato et cristallo, seu vitro
integrò contextis, cum suis inscriptioni-
bus.

An retineantur in armario ornato loco
fixo sub sera et clavi cum epigraphe: *Reli-*
quiæ sanctorum.

An adsit catalogus omnium reliquiarum,
et an sint authenticæ, vel ignotæ, aut du-
biæ fidei.

An asportentur ad infirmos. Si enim hoc
fieret, prohibeatur.

An in illarum publica expositione accen-
dantur lumina, et si subter altaria sint de-
posita corpora integra sanctorum, an reti-
neatur lampas accensa.

Indulgentiæ.

An publicentur absque licentia et appro-
batione episcopi.

An adsint breviam et concessionem authen-
ticæ.

An fiant mercimoniam et quæstus prætex-
tu et occasione indulgentiarum.

Imagines sacræ.

An imagines sanctorum exponantur in
ecclesiis adorandæ priusquam ab episcopo
fuerint benedictæ et approbatæ.

An imagines sacræ sint depictæ in locis
sordidis, aut locis irreverentiæ obnoxiiis, an
deformatæ et deturpatæ. Inde enim tollen-
dæ sunt, vel restaurandæ, et, si fieri nequit,
dealbandæ, leg. *Unica, cod. Nemin. lic. sign.*
Salvator., etc. Sac. cong. Episc., in Veneta
22 Maii 1696.

Signum crucis si in pavimento sculptum
inveniatur, inde tollatur, ne pedibus con-
culcetur, l. 1, c. *Nemin. lic. sign. Salva-*
tor., etc.

An imagines Jesu Christi, beatæ Mariæ
virginis, apostolorum, ac evangelistarum
reperiantur depictæ, cum habitu, vel forma
ab Ecclesia non usitata, vel cum habitu re-
gularium. Si enim taliter depictæ invenian-
tur etiam in ecclesiis exemptis, debent de-
leri et reformari. *Urban. VIII, in Appendic.*
2, constitut. 51.

Baptismus.

An fons sit lapideus, vel ex alia materia
solida cum cooperculo ex metallo sine ri-
mulis, propeque adsit sacrarium.

An fonti affixum sit tabernaculum, seu ut
appellant, ciborium saltem ligneum secore
fabrefactum, in quo sit contignatio, ubi
vascula argentea, seu stannea oleorum chris-
matis, et catechumenorum reponantur cum
suis inscriptionibus.

An ibi retineatur cochlear argenteum, seu
saltem stanneum ad fundendam aquam in
caput baptizandi, vas cum sale benedicto,
et linteamina munda.

An ciborium decenti conopeo vestiatur,
ne sordes superne decendant, et illud com-
maculent, et firmissima sera claudatur.

An obstetrices sint examinatæ et appro-
batæ.

An admittantur patrini minores 14 annis,
et matrinæ minores 12, et an regulares, vel
clerici in sacris constituti sine licentia,

Act. Eccl. Mediol., part. 1; Synod. diœces.,
iii, decr. 17.

An baptismus infantium protrahatur, et
differatur ultra tres dies, et nomina ethni-
corum imponantur. *Clement. unic. De ba-*
p-tism.

An baptizati eodem die a parcho, vel
alio, qui de ejus licentia, aut episcopi sa-
cramentum ministravit, describantur in li-
bro baptizatorum.

An hoc sacramentum extra casum neces-
sitarum conferatur domi.

Confirmatio.

An in officio patrini admittantur non con-
firmati, vel ignorantes rudimenta fidei, an
regulares, an in ordinibus sacris constituti.

An admittantur ad recipiendum hoc sa-
cramentum minores septennio, qui non
fuerunt instructi, ac adulti non confessi.

An qui fuerunt patrini in baptismo, ad-
mittantur, et fiant patrini ejusdem pueri in
sacramento confirmationis.

An pueri vel puellæ ducantur ad recipien-
dum hoc sacramentum extra diœcesim.

Eucharistia.

An retineatur in tabernaculo affabre factæ,
et extra majori ex parte deaurato, et inte-
rius undequaque serico panno decentis co-
loris vestito; in pyxide argentea orbiculata
et auro intus illita, cum suo cooperculo, et
conopeo super corporali mundo.

An ostium tabernaculi sit firmissima
sera et clavi argentea, aut deaurata clausum,
quam parochus apud se diligenti custodia
retineat.

An tabernaculum sit tectum decenti co-
nopeo, et de illis provisum omnium colo-
rum.

An particulæ consecratæ hieme saltem
singulis quindecim, æstate octo diebus re-
noventur.

An ante altare tabernaculi diu, noctuque
colleat saltem una expolita lampas.

An in tabernaculo præter pyxidem, ali-
quid aliud quantumvis sacrum asservetur.
Quod si fiat, removeatur. *Cap. Reliqui, De*
custod. Euch.

An delatio Eucharistiæ ad infirmos fiat
cum debita associatione luminum cum bal-
dachino, seu umbella in locis parvis. plu-
viali, in civitate et oppidis nota dignis.

An mulieres accedant modeste ad sumen-
dam sacram Eucharistiam, vel potius irre-
verenter, mammis et brachiis denudatis.

An non communicantes in Paschate mo-
niti fuerint, et illorum nomina transmissa
ad curiam episcopalem.

An, et quoties in anno fiant processiones
cum delatione Eucharistiæ et expositione
publica.

Pœnitentia.

An hoc sacramentum ministretur in eccle-
sia in sede confessionali cum superpelliceo
et stola.

An sedes confessionales habeant crates
saltem ligneas, seu potius laminas ferreas,
spissis foraminibus terebratas, ac bene un-

dequaque hærentes, cum asserculo versatili, cujus objectu facies sacerdotis populo occultetur, nec non piam aliquam imaginem ex parte pœnitentis, et an sint in loco visibili.

An confessarii audiant confessiones extra sedem confessionalem, præsertim mulierum et puerorum e conspectu nulla interposita crate. Nam si talis abusus inveniretur, pœna suspensionis ab audiendis confessionibus esset puniendus.

An in sede confessionali sit affixa tabella casuum reservatorum, et summariorum bullæ in Cœna Domini.

An admittantur confessarii tam sæculares quam regulares exteri, et de aliena diœcesi ad audiendas confessiones sine episcopi licentia.

Oleum infirmorum.

An retineatur in ecclesia in fenestrella a cornu evangelii altaris majoris, intus panno serico obducta in vaseculo argenteo, seu saltem stanneo, atque id in ampliori capsula lignea undequaque gossipio circumposito cum sera et clavi, inscripto supra ostiolum: *Oleum infirmorum*.

An parochus illud deferens ad infirmos sit indutus superpelliceo et stola; an in serica bursa violacei coloris inclusum et cordolis item sericis collo appensa reverenter ferat.

An conferatur pueris usum rationis et malitiam peccandi non habentibus, furiosis lucido intervallo carentibus, et impœnitenter decedentibus. Cap. *Erga eum* 26, q. 7.

Matrimonium.

An parochi matrimonia denuntient, antequam semotis arbitris consensum mutuum contrahere volentium receperint.

An parochi antequam matrimonia denuntient, recognoscant, an contrahere volentes sint legitimæ ætatis, confirmati, in mysteriis fidei edocti, an consanguinei.

An sponsi, antequam matrimonium contrahant, invicem conversentur absque interventu parentum et consanguineorum.

An parochus saltem bis in anno in Missis parochialibus populo impedimenta matrimonii denuntiet.

An parochi exteros, vel eos qui a diœcesi diu fuerunt absentes, absque licentia episcopi in matrimonio jungant.

An parochi dispensent unam vel alteram ex denuntiationibus faciendis, auctoritate propria absque permissione episcopi vel vicarii generalis.

An denuntiationes fiant semper diebus festis de præcepto interpolatis.

An parochus vel alter, qui, de ejus licentia vel episcopi, contrahentes matrimonio conjunxit, matrimonium describat in libro eadem die vel differat descriptionem.

An matrimonia contrahantur semper in ecclesia, vel aliquando domi sine licentia episcopi vel vicarii generalis.

An temporibus ab Ecclesia prohibitis absque episcopi licentia.

Missæ sacrificium.

An ad sacrum faciendum admittantur exteri absque litteris dimissoriis, seu commendatiliis recognitis, et approbatis ab episcopo vel ejus delegato.

An adsint in loco sacerdotes, qui indevote, propere et irreverenter sacrificium celebrent.

An sacrista, seu rector ecclesiæ permittat et admittat ad celebrandum presbyteros, qui coronam et vestem clericalem decentem, et ab edictis seu constitutionibus synodalibus præscriptam non deferunt.

An in Missis votivis fiant quæstus, et an sacerdos novellus admittat laicos ad altare ad osculum manus. Nam si iste abusus inveniat, tolli debet, cum pacis instrumentum, seu crucem ad osculum exhibere debeat, et non manus, et oblationes, si quæ offerri contingat, hoc fiat in medio altaris, sacerdote populo obverso. Sac. cong. Concil., apud Zerol. in *Praxi*, verb. *Missæ*.

An in celebratione Missarum sacerdotes utantur calicibus et patenis desauratis, planetis atritis et corosis, albis et amictis immundis, cingulis fractis, corporalibus commaculatis, ac missalibus laceratis, vino acido vel mucido, et an parati sint urceoli mundi cum pellicula saltem testacea.

An tabella onerum Missarum in qualibet ecclesia in sacristia appensa in loco patenti retineatur.

An in eadem sacristia retineantur libri, non folia, quæ vento rapiuntur, in quibus eadem die, qua celebratæ fuerunt, per eosmet sacerdotes adnotentur Missæ celebratæ; et an servetur silentium, vel potius indecentia committatur.

Mandet quod sacerdotes exteri, ut vagi, qui cogniti non sunt, quoties cum licentia episcopi vel vicarii admissi fuerint ad sacrum faciendum, in libro scribant se tali die celebrasse, ad hoc, ut si forte falsos et fictos sacerdotes esse compertum fuerit, constare possit de corpore delicti per propriam confessionem.

Qui sint ministri et quæ personæ admittantur ad inserendum Missis.

An celebrentur Missæ de mane ante auroram vel post meridiem.

Legata pia.

An in loco visitato præter onera, et legata Missarum adsint alia legata pia adimplenda.

An de illis habeatur et retineatur nota in cancellaria episcopali ac in libris ecclesiæ, seu alterius loci pii visitati.

An adimpleantur.

Doctrina Christiana.

An in cathedrali aliisque ecclesiis parochialibus reperiantur erectæ sodalitates doctrinæ Christianæ.

An adsint peccatores publici, puta concubinarij, sortilegi, usurarii, blasphemij, lamia, conjuges separati absque judicio Ecclesiæ, retinentes et legentes libros prohibitos absque licentia, evulgantes erro-

neas et falsas propositiones ac damnatas ab Ecclesia doctrinas.

Confessarii tam sæculares, quam regulares absolventes a reservatis absque episcopi expressa facultate, hæretici, aut de hæresi suspecti.

An in ecclesiis parochialibus, et aliis, in quibus sodalitates sunt erectæ, edoceantur pueri, et puellæ in his, quæ pertinent ad mysteria fidei et bonos mores.

Hæc, inquam, regulariter et substantialiter advertenda erunt in visitatione, quæ omitti non debent. Cæterum juxta locorum et Ecclesiarum qualitates, et exigentiam arbitrio prudentis visitoris, etiam alia plura erunt consideranda et providenda; quæ videri ad saturitatem possunt apud Fusch., Restam, Pac. Jord., Crispinum et alios, qui de visitatione absolutos tractatus ediderunt.

Omnia vero, quæ visitor ordinaverit, decreverit et adnotanda esse censuerit, per secretarium, sive notarium visitationis fideliter et integre in libro referenda erunt; quia libri hujusmodi plene probant, ut dixit Rota coram Duno. Jun., decis. 61, n. 8; Panimol., decis. 10, n. 12, et alii adducti per Romaguer, ad *Synod. Gerund.*, lib. 1, tom. 1, cap. 1, n. 6.

(122. Adduntur variæ novissimæ resolutiones sacræ congregationis Concilii ad visitationem pertinentes. Et signanter in *Bononiæ. Juris visitandi* 2 octobris 1721, in qua decisum fuit, quod potest archiepiscopus Bononiensis jure delegato visitare ecclesias unitas et annexas collegio Montalto.

In *S. Marci Plurium* 16 Januar. 1723, in cit. dub., ubi resolutum fuit, quod episcopus potest per seipsum visitare diœcesim gastannis, et etiam pluries infra annum, sed absque procuratore.

In *Licien. Visitationis et Censurarum* 29 Januar. 1724 et 23 Junii 1725, ubi quod episcopus jure delegato visitare potest ecclesiam ruralem seu campestram S. Mariæ Galliani pertinentem ad monachos Olivetanos.

In *Placentina* 17 Augusti 1726, ubi quod episcopus jure delegato visitare potest ecclesiam campestram S. Mariæ de Albiano Pontis Nurii spectantem ad Carmelitas calcæatos. Et jam Alexander VII, constit. 4, incip. *Posito decreto*, approbaverat declarationes sacræ congregationis episcop. et regular. quod nempe visitationi et jurisdictioni ordinarij subsint Ecclesiæ conventuum et capellæ Granciarum, sive in eis degant conversi pro agrorum cultura, sive non.

In *Montis Regalis* 25 Martii 1727, ubi quod episcopus visitare potest capellam ruralem sub titulo B. M. V. ad Nives in sua diœcesi in finibus loci Morosii, spectantem ad monachos Carthusianos.

In *Marcerat.* 10 Maii 1727, ubi quod episcopus potest jure ordinario visitare confraternitatem sub invocatione S. Mariæ Misericordiæ in castro Urbisagliæ, quamvis

ecclesia sita sit in solo basilicæ Lateranensis.

In *Spoletana juris visitandi* 30 Septem. 1730, ubi quod episcopus visitare potest capellam confraternitatis sanctissimæ Conceptionis in ecclesia PP. Minorum conventualium Terræ Montis Leonis, ad formam decreti in Nucerina Paganorum 25 Julii 1629.

In *Ravennaten. Visitationis* 7 April. 1731, ubi propositis tribus sequentibus dubiis:

I. « An capella et altare S. Antonii sita in ecclesia PP. Minorum de Observantia Ravennæ subsit visitationi reverendissimi archiepiscopi.

II. « An ornamenta, et supellectilia ejusdem altaris, et capellæ spectantia, ad eosdem Patres possint ab eo visitari.

III. « An ea spectantia ad Societatem S. Antonii, quæ in actu visitationis servantur in arca, aut in alio loco, visitare debeant in locis, in quibus asservantur; seu potius asportanda sint intra capellam præfatam, ibique visitari. »

Sacra congreg. Conc. die et anno quo supra respondit, « ad I affirmative ad formam Nucerinæ; ad II negative; ad III Posse visitari ubicunque serventur. »

In *Murana Visitationis* 21 Junii 1732, ubi ad 2 dub.: « An episcopus visitare possit altaria Sanctissimi Rosarii, et Sancti Francisci existentis in ecclesia PP. Minorum Conventualium oppidi S. Felicis, in casu, etc. Sacra congreg. Concil. respondit ad II affirmative, ad formam resolutionis in *Nucerina paganorum*, et amplius. »

Quam *Decreti in Nucerina Paganor.* formam, quia fere semper secuta est sacra congregatio, et signanter in *Urbanien. Visitationis Capellæ* 23 Septembris 1690, ut in lib. *xl Decretor.*, p. 657, in *Firmana jurisdictionis* 4 Augusti 1714, ad 1 dub., ut in lib. *xiv Decretor.*, pag. 276 et pag. 303, in *Spoletana juris visitandi* 30 Sept. 1730, ut in lib. *lxxx Decret.*, pag. 290, et in *Ravennaten. Visitationis* 7 April. 1731, ut in lib. *lxxx Decret.*, pag. 244, et in d. *Murana Visitationis* 21 Junii 1732, ideo pro regula affertur hic ad litteram.

In *Nucerina Paganorum* 23 Junii 1629. Sacra congregat. Concil. « inhærendo declarationibus alias factis, censuit, confraternitates laicorum, in ecclesiis regularium exemptorum institutas, subesse jurisdictioni, et visitationi episcopi, illasque ab eo visitari posse, nec non illarum capellas in eisdem ecclesiis regularium existentes; in his tamen, quæ confraternitatum administrationem respiciunt; et si confraternitibus incumbit onus manutenendi altare, et illius cultum, episcopum posse visitare circa ea quæ respiciunt ipsam manutentionem, cultum et ornamenta altaris, seu capellæ, onera Missarum, etque divinarum Officiorum ibidem celebrandorum, et circa ea omnia quæ ad obligationem eorundem confratrum relationem habent, » ut in lib. *xiv Decretorum*, pag. 115.

Episcopi officio et auctoritate, sive in

visitatione, sive extra, provideri debet, quod Ecclesia, sive sæcularis, sive regularis consueta prius aliis aliquod speciale festum solemnizare, debeat in quasi possessione manuteneri privative quoad alias, quæ nequeunt tale festum eadem ipsa die celebrare, sed debent in aliam diem protrahere, maxime in parvis oppidis, ubi ratione contemporaneæ celebrationis in duplici ecclesia, exoriri solent æmulationes, contentiones ac mutuae cum scandalo perturbationes, magis destructivæ, quam inductivæ populi devotionis, sicque cum in parvis locis unica ecclesia populi devotioni, ac pietati satisfacere possit, illa quæ postorius solemnitate ac festum peragere cepit, cedere debet alteri, quæ prius idipsum facere consuevit, ut per text. in leg. *Opus 3*, ff. *De oper. public.* firmat Spada consil. 233, sub num. 5, tom. III; Pignatell., t. III, consil. 69, sub n. 3; Nicol. in *Flosculis.*, verb. *Festum*, sub n. 3 et 5; Card. Petra, *ad constit. 1 Cælestini III*, sub num. 23 et sequent., tom. II, Bichius, decis. 486, sub num. 3. Emerix junior, decis. 1138, sub num. 4, et ex eis statuit Rota in nullius Putiniani Præminentiarum coram Crescentio 7 Decemb. 1731, apud Scarfantonium ad Ceccoper. part. III in fine, decis. 14. Et sic decrevit etiam Sac. Rit. Congreg. in Romana 13 Junii 1697, et in S. Severinæ festivitatis S. Crucis die 2 Junii 1712, in qua proposito dubio: « An et in qua ecclesia Terræ Cutri sit celebranda festivitas S. Crucis sub die 3 Maii resolutum fuit: festivitatem die 3 Maii celebrandam esse solemniter a PP. Reformatis; die vero Dominica infra octavam posse celebrari a confratribus SS. Annuntiæ; » apud Ursayam, tom. II, part. II, disceptat. 5, n. 44, et per tot., ubi ad rem plures adducit resolutiones sacræ Congregationis tum Concilii, tum Episcoporum et Regularium, tum Sac. Rit. tum Visitationis Apostolicæ, tum Rot. Romanæ, et sic etiam in d. tom. II, part. I, discept. 22 per tot. Notanter tamen dictum fuit: « Maxime in parvis oppidis, seu parvis locis; » quia in magnis civitatibus, in quibus cessante periculo ob distantiam ecclesiarum, et populi multitudinem, ac frequentiam, permitti solet contemporanea celebratio ejusdem festivitatis in pluribus Ecclesiis juxta distinctionem, de qua eminentissimus Petra, tom. II *Commentar. ad Constit. 1 Cælestini III*, sect. unic., sub num. 24, qui undequaque doctrina et virtute conspicuus, diebus ac meritis plenus, æternæ memoriæ dignus, perenniter regnaturus evolavit ad superos die 22 Martii anni 1747.

(123. Denique superest hic apponere quædam alia pro Minoribus de Observantia ad rem emanata a S. Congreg. Episc. et Regularium decreta.

Ordinis Fratrum Minorum de Observantia S. Francisci.

Ut in Seraphico Ordine Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia regularis disciplinæ vigor, et præsertim Religiosa Pau-

peritas, uti par est, exacte custodiantur, abususque, si qui in nonnullis præfati Ordinis provinciis occasione visitationum earundem provinciarum irrepserint, penitus in posterum eliminentur.

« Sacra congregatio eminentissimorum et reverendissimorum S. R. E. cardinalium negotiis, et consultationibus episcoporum et regularium præposita, referente Eminentissimo S. Clementis, provide consulere volens, statuit, atque decrevit; quoad provinciarum visitatores, et commissarios omnino observari Constitutionem Urbani VIII pro restituendo, et conservando in Ordine Fratrum Minorum Sancti Francisci de Observantia disciplinæ regularis candore editam, aliasque apostolicas constitutiones, et statuta generalia ordinis a S. Sede apostolica approbata, et signanter, expresse mandavit, ne iidem visitatores, et commissarii, eorumque secretarii et socii sub quovis titulo, aut quæsito colore, vel prætextu, etiam accessus et recessus, neque pro se neque pro eorum conventibus, et provinciis, muneribus, sive contributionibus, nec in pecunia, nec in re aliqua a provinciis, et conventibus visitatis, aut visitandis, seu communi nomine, sive proprio, et particulari religionum, accipiant, sed expensis tantummodo necessariis pro itinere, quæ modestiam, et paupertatem propriam ipsius Seraphici ordinis decent, contenti sint. Quod si iudicio definitorii vestiario indigere videbuntur, illud etiam, non tamen in pecunia, sed in specie tantum, tam ipsis visitatoribus et commissariis, quam eorum sociis subministrari valeat, fiatque dictarum expensarum subministratio modis licitis, et juxta proprii ordinis institutum. Quæ omnia præcipit, et respective prohibuit sub pœna privationis vocis activæ, et passivæ aliisque in constitutionibus Clementis VIII et Urbani VIII, de largitione munerum, et in statutis ordinis constitutis, quacunque consuetudine in contrarium, quam corruptelam esse declaravit, et aliis quibuscunque non obstantibus. Voluit autem, quod præsens decretum tradatur Patri vicecommissario generali Cismontanæ familiæ, et procuratori generali familiæ Ultramontanæ, per ipsos ad suas respective provincias transmittendum, et in earundem regestis describendum; et quod in quolibet capitulo provinciali ab ipsius capituli præsidente legatur sub pœnis supra expressis ipso facto incurrendis; quodque definitorium tam vetus, quam novum cujuscunque provinciæ transmittere debeat ad ministrum generalem, seu ad commissarium, aut vicecommissarium generalem juratam attestationem, omnia supradicta, quantum ad eorum notitiam pervenire potuit, fuisse adimpleta. Romæ 14 Novembris 1710.

G. Cardinalis CARPINEUS.

(124. Visitatio pastoralis et executio decretorum in ea editorum episcopis omnibus inculcatur. Benedictus XIV, tom. I, constitut. 2 incip. *Ubi primum* § 6, et constit. 140, incip. *Gravissimum* § 13.

(125. In visitatione pastoralis quænam visitare possit episcopus in ecclesiis parochialibus regularium declaravit idem in constitut. 109 incip. *Firmandis*, § 7. (126. Et quid cognoscere debeat circa vitam et mores parochi regularis. Idem, *ibid.*, § 8. Vide verb. EPISCOPUS et verb. REGULARES, ubi multa ad rem. Vid. *Addit. Casinens.*, v. REGULARES.

(127. Visitatio ecclesiarum cathedralium et diocesum episcoporum suffraganeorum a metropolitano fieri non permittitur, nisi de mandato concilii provincialis. Idem constitut. 98 incip. *Inter plures*, § 18.

(128. Visitatio liminum apostolorum, a quibus, quando et quomodo fieri debeat. Vide verb. LIMINA APOSTOLORUM, ubi fusius actum est ad rem.

(129. Visitatio officiorum tabellionatum, et actorum in Urbe indicitur, (130. et omnibus iudicibus commendatur; Benedict. XIV, const. 48, *Ad militantis*, § 49. (131. Visitationum facultates ad tramites juris, et litterarum Innoc. XII, editarum sub die 16 Jan. 1693 reducuntur. Idem, const. 44 incip. *Quantum*, § 20. Visitatores per civitates et dioceses sunt deputandi ad fovendum opus doctrinæ Christianæ. Idem, constit. 42 incip. *Etsi minime*, § 16.

(132. Visitatio diocesis quotannis est peragenda, vel saltem quolibet biennio, si sit valde ampla: (133. Idem *De synodo diocesana*, lib. II, cap. 9, n. 4. (134. Imo episcopus potest ipsam diocesim visitare toties, quoties opus fuerit. Idem, *ib.* Vide supra n. 18 et 21. Unica tamen duntaxat debetur ei procuratio pro eodem anno quo pluries diocesim visitat, ut declaravit sacra congregatio Conc., die 19 Septemb. 1682, quæ ad dubium: « An episcopus, qui, si commode fieri possit, diocesim suam quotannis visitare tenetur, possit hujusmodi visitationem facere per mensem, vel circiter antequam labatur integer annus a die peractæ ultimæ visitationis, vel potius debeat expectare, quod anni circulus integre compleatur, ita ut intra singuli cujuslibet anni cursum, una tantum visitatio fiat; » respondit, « *Affirmative*, sed non posse recipere procurationem, nec victualia, nisi semel in anno. » Et sic etiam in *Polycastr. Procurationis* die 1 Junii 1737, ubi ad quæsitum: « An episcopus non completo anno ab ultima visitatione, possit iterum eandem ecclesiam visitare, et aliam procurationem, a visitandis exigere; » resp. « *affirmative* quoad primam partem, et *negative* quoad secundam. » V. *Addit. Casinens.*, infra.

(135. Procuratio autem exigenda in visitatione debet esse moderata et honesta.

(136. Idem, *ib.*, n. 5. Et vicarius capitularis, seu vicarius generalis, vel alius substitutus, qui non sit episcopus non potest exigere, nisi medietatem procurationis dari solitæ episcopo. Idem, *ib.*, et pluries decrevit sacra congregatio. Vide verb. PROCURATIO n. 17 et 18, ubi afferuntur decreta et dicta superius n. 80 et per tot. Vid. *Addit. Casinenses* ibi.

(137. Advertendum est, quod in Guardiën, exortis pluribus controversiis circa jurisdictionem, quam episcopus Guardiënsis asserebat sibi competere in oppido Aquævivæ ad commendam sancti Primiani religionis Hierosolymitanæ, proposita et resoluta fuerunt plura dubia, ut sequitur:

I. An episcopus Guardiën. in visitatione ecclesiæ S. Joannis oppidi Aquævivæ possit etiam visitare libros parochiales ad curam animarum et sacramentorum administrationem spectantes, scilicet baptizatorum, confirmatorum et defunctorum.

II. An dictus episcopus, uti Sedis apostolicæ delegatus corrigere possit parochum aliosque dictæ Ecclesiæ ministros tam in actu visitationis quam extra.

III. An possit, ut supra, inquirere contra dictos parochum et presbyterum non tantum in concernentibus curam animarum, et sacramentorum administrationem, sed etiam in aliis causis civilibus et criminalibus, et in omnibus circa morum correctionem civilibus, et mistis, et quatenus affirmative.

IV. An in casu impedimenti procedere possit cum censuris contra impediētes, tam commendatarium, quam ministros.

V. An possit mandare in actu visitationis, ut calices, et decencia paramenta ad decorem administrationis provideantur.

VI. An cognitio status liberi eorum, qui matrimonia contrahunt in dicto oppido, et litteras eis dare spectet ad episcopum.

VII. An facere testamentum vulgo dictum dell'anime juxta solitum diocesis spectet ad episcopum.

VIII. An episcopus tam in actu visitationis, quam extra procedere possit contra laicos, commendatarium, et ministros dicti oppidi pro delictis ad curiam ecclesiasticam spectantibus, v. g. usuris, concubinatibus, percussionibus clericorum, inobservantia dierum festorum, usurpatione jurisdictionis episcopalis, etc., et tali casu censuris ecclesiasticis uti.

IX. An tueri immunitatem in dicto oppido spectet ad dictum episcopum, etiam adversus commendatarium, et ministros, ita ut eos valeat declarare excommunicatos.

X. An sit manutenendus episcopus in quasi possessione decernendi monitoria in dicto oppido pro deperditis.

XI. An spectet ad episcopum præstare consensum alienationi bonorum dictæ ecclesiæ, vel alterius loci pii juxta terminos c. *Terrulas* 12, q. 2.

XII. An possit destinare concionatorem in dicto oppido et cogere communitatem ad solvendam mercedem juxta solitum diocesis.

XIII. An spectet ad episcopum præstare licentiam concionandi in dicto oppido.

XIV. An parochus dicti oppidi sese absentare possit a parochia ultra terminum